AD

CONCELEBR

ACTVM ACAD

QVO

LICEN

SVMM

HONORES THE

CAPESSE

QVATVOR CA

PRAECLARE

TRIBVENDA

FAVTORES SAC

INVITA

ROMANVS

S. THEOL. D. ET PROF. P

NVNC

PROCANCE

174

19

AD

EBRANDVM

CADEMICVM

QVO

NTIA

MMOS

THEOLOGICOS

ESSENDI

CANDIDATIS

RE MERITIS

ENDA EST

SACRI ORDINIS

VITAT

S TELLER

ROF. PVBL. ORDINARIVS

NVNC

CELLARIVS

1744

Q. D. B. V.

Non doctrina, ſed doctrinae opinio, in vituperationem iuſtam cadit, omni videlicet homine, praeſertim eo, qui ſe in CHRISTI diſciplinam tradidit, omnium autem maxime doctore theologo, indigna *). Turpis haec temeritas, qua haud ſcio an turpior ſit vlla, nihil eſt aliud, quam αυθαδεια quaedam,

 quod

*) *Opinio doctrinae*, vix vnquam ex mundo, qui regitur opinionibus, exterminanda, dupliciter illa quidem dicitur, vt et ad hominem, et ad rem, referatur. Nam et arrogans ſui aeſtimatio praedicatioque, ſi quis, ſibi nimium confiſus, iudicet ſe ſcire, quod neſciat, opinio doctrinae adpellatur; et eſt opinio doctrinae, inanis quaedam perſuaſio, cum doctrina ponitur in ea re, in qua nihil profecto minus ineſt. FRANCISCVS VAVASSOR eximiam habuit, quae in *Operibus* eius exſtat, orationem, *de contemnenda opinione doctrinae*. Inter decreta Philoſophorum veterum, in porticu obambulantium, hoc fuiſſe praecipue arcteque tenendum, τον σοφον δοξαςον ȣκ ειναι, DIOGENES LAERTIVS memoriae prodidit, Lib. VII. *in vita Zenon.* prope finem, *pag.* 203. *edit.* MENAGII. Conf. quae de emendando codice IS. CASAVBONVS obſeruauit. Vix tibi credibile videatur, tam ſapienter dictum aliquid potuiſſe a Stoicis proficiſci, quorum quam fuerint inflati ac tumentes animi, neminem praeterit. Id nimirum illis erat in more poſitum, vt, quo magis modeſte dicerent, eo ſentirent arrogantius.

quod nomen, quamuis multo latius pateat, eam tamen opinationem suo ambitu continet. Hoc vitium, prorsus intolerabile, diuus PAVLLVS iubet plurimum abesse ab vno quoque, cuius est, curae sibi habere communem societatis, Deo Liberatori consecratae, salutem. Inter plura enim, quae dat, praecepta docendi ac viuendi, hoc potissimum nos admonet, atque adeo primo collocat loco: *μη αυθαδη ειναι* in litteris ad TITVM exaratis, cap. I. v. 7. Nunc de eo, qui criminis tanti, tamque detestabilis, argui iure possit, sermonem exponam, quam breuissime potero.

Origo quidem vocis, *αυθαδης*, nec incerta est, nec obscura. *) Non est dubium, quin vox illa sit composita ex vocabulo, *αυτος*, et verbo, *αδω*, siue *αδεω*, *placeo* **). Ad vsum

*) Etsi enim b. CALOVIVS in *Bibliis illustratis* addubitat, vtra harum sententiarum sit probabilis: *αυθαδης*, inquit, *quod ab αυτος, et αδειν, non nulli deducunt, quasi sibi ipsi placens, alios autem alto supercilio contemnens, alii ab αυτος, et εν εαυτω, idem ex se ipso, dictum putant;* neminem tamen nominat eorum, qui posteriorem priori antetulerint, neque vllam adfert rationem, ex qua veri similitudo vel minima effici queat.

**) Distinctionem aliquam esse verborum, *αυθαδης*, et *αυταδης*, sentio. HESYCHIVS: *αυθαδης, παρανομος, αυτκρετος.* Et paullo post: *αυταδης, αυτος εφ εαυτω.* In hac loquutione non nihil omissum esse, facile intelligitur. Quae est igitur integra sententia? IOANNES ALBERTI, vir doctissimus, in *miscellaneis criticis in Hesychium, glossario in libros N. F.* adiunctis, coniecturam hanc profert: *Supple ἁδῶν' alias αυθαδης dicitur. Solet autem Hesychius τα δατυνομενα ψιλϐν. Vnde αυταδης, pro, αυθαδης.* (quo quid sibi velit vir eruditus, latet: Etenim HESYCHIVS, si pro illo nomine, *αυθαδης*, scripsisset hoc, *αυταδης*, densum cum tenui commutando, cur duo distinxisset vocabula? cur diuersam vtrique interpretationem adiunxisset?) *Similiter Hesychius αυταρεσος, ο εφ εαυτω αγαλλομενος.* Hactenus ALBERTI. Verum tamen differunt inter se ista duo, vt causa atque effectus, vt sensus animi, eiusque declaratio. Scilicet temerarius homuncio, cuius sibi admodum probatur virtus, qualiscunque sit illa, si modo est aliqua, is, inquam, qui nemini magis, quam sibi, placet, aegre se tenebit, quo minus gestu motuque elatius se gerat, praedicando, tripudiando, multum de se, multisque clamoribus, decantando. Quocirca putarim esse commodius, illius quidem, *αυθαδης*, originem ducere ab *ἅδω*, huius autem, *αυταδης*, ab *ᾄδω*, siue *ἀειδω*, vt ille sit, qui omnem ex se vno capit animi oblectationem; hic deinceps, qui

vsum vero quod attinet, videtur ea in vtramque partem accipi, vt et in laude, et in vitio, nomen hoc sit, quamquam minus vsitata est illa, quae laudi ducitur, significatio. Denotat interdum gaudium, magnamque fiduciam, qua quis delectatur in ea re, quam non aliena institutione didicit, sed sua ipse industria suaque cogitatione fuit adsequutus, at aequus tamen aestimator, vt aliis quoque scientiam, et forsitan ampliorem, adserat, nec inuideat. Luculentum habeo, firmissimumque, quod vnum instar omnium proferam, MARCI AVRELII ANTONINI testimonium. Is nimirum sapienti homini, qui nihil non considerate agit, ac vires ingenii egregias in contemplatione naturae exercet, vulgari quippe notitia haud contentus, nec caeci animi impetu, quidquid ipsi narrarint alii, arripiens, sed suam ipse intelligentiam explicans, illi igitur sapienter verum indaganti, *το εκ της περι εκαστων επιστημης αυθαδες* tribuit *). Itaque id fructibus sapientiae adnumerat Imperator Philosophus, im-

qui suas ipse laudes tamquam ad tibiam citharamque canit, atque ita exsultantis laetitiae, quam ex admiratione sui perceperat, innumerabilia efficit editque documenta. Id si forte displiceat, propter exiguam, quam video, difficultatem grammaticam, facilior erit vocis deriuatio a verbo, *αδω*, *saturo*. Quo pacto, *αυταδης*, *αυτος εφ εαυτω*, quippe *αδομενος*, is demum foret, qui totus in amorem sui raptus, virtutisque, cuius excellentiam sibi adsumit, existimatione adeo est satiatus atque expletus, vt nihil in se animaduertat desiderandum, aut perficiendum amplius. Quod si autem tibi videatur, aut θ in τ conuersum esse, more Atticorum (si CORINTHO fides habenda est, vid. IAC. ZVINGERI *hypotyp. graecar. dialectorum*); aut pro aspero spiritu, in verbo *αδω*, lenem ab HESYCHIO vsurpatum, vt Ionii solent ciues, *ψιλωτικοι* ab EVSTATHIO vocati; aut vitium quoddam scriptionis in librum irrepsisse (vt pro, *αυταδης*, neglecta *κρασει*, legendum sit *αυτοαδης*, sicut *αυτοανθρωπος*, vt est apud ARISTOTELEM) ideoque principium vocis, *αυταδης*, manere illud *αδω*, contra id quoduis equidem haud decertabo.

*) Ex quo adparet, *το αυθαδες* non prorsus inusitatum esse, nec tuto nos niti SVIDAE auctoritate, cuius haec sunt verba, ex latina versione, qualem KVSTERVS nobiscum communicandam curauit: *αυθαδες, vocatiuus; το αυθαδης vero, ab vsu abhorret.*

mo etiam id ipſum cum aliis coniungit virtutibus, ſigillatim απλοτητι, και σεμνοτητι, ſummo vtique merito commendabilibus *). Multum ſane ponderis ad corroborandam hancce interpretationem adfert analogia et comparatio, quando quidem id, de quo quaeritur, ad aliquid ſimile referre volumus. Quem ad modum αυταρκης, et αυταρκεια, optimo ſenſu dicitur, vt plura eiusmodi verba tacendo praeteream: ita pariter αυθαδης, atque αυθαδεια, quo minus laudabile quidquam deſignet, nihil video, quod prohibeat.

Hoc vero ſine controuerſia veriſſimum eſt, quod vocis huius, de qua mihi eſt diſſerendum, crebrior vſurpatio malam indicet, bonisque viris perpetuo inuiſam, animi indolem. Eam ſic definit THEOPHRASTVS **), vt grauiſſimum ſit vitium, quo omnia fere vincula et religionis, et ſocietatis, disrumpantur, moroſa *contumacia, ſiue ferocitas*, vt latine conuertit ISAACVS CASAVBONVS. Nec mitiorem HESYCHIVS fert ſententiam, cum ſcribit: αυθαδης, αυταρεστος, παρανομος, εξουσιαστικος. Sacra item ſcriptura homines, huius culpae reos, in numerum adgregat eorum, qui, mortalium omnium profligatiſſimi ac perditiſſimi, nefario ſe ſcelere contaminant, εν επιθυμια μιασμου πορευομενοι, και κυριοτητος καταφρονουντες, τολμηται, αυθαδεις, δοξας ου τρεμουσι βλασφημουντες ***). Tantam huic nomini poteſtatem

*) *de rebus ſuis, Lib.* Xmo, §. 9na. Quem ad locum THOMAS GATAKERVS erudita commentatione hoc adnotat: *αυθαδης in meliorem partem iſtic ſumi videtur* (*quod rarius, opinor, deprehendas*) *vel pro certa animi fiducia, ex rerum naturalium contemplatione orta, vel pro adfectu animi, ſibi placentis, adquieſcentisque in veritatis, quam adeptus eſt* (addere mihi liceat, *et ſuo quidem ſtudio*) *cognitione; quod vocabuli notio, per ſe media, deſignat.* Ita recte omnino, ac rei conuenienter, pronunciat vir clariſſimus, et, quo magis illud confirmet, teſtes excitat ſatis idoneos, nominatim ARISTOTELEM, ISOCRATEM, SENECAM.

**) *cth. charact. cap.* XVto.

***) in *poſteriori*, quam PETRVS texuit, *epiſtola, cap.* II. *v.* 10.

ſtatem tribuerunt etiam LXX. illi, qui vulgo quidem adpellantur, interpretes, cum verba haec, זד יהיר *), ita graece conuerterunt, θρασυς, αυθαδης, και αλαζων, et, quae ibi ſequuntur, עושה בעברת זדון, reddiderunt hoc modo: ος δε μνησικακει παρανομος. Quod alibi ſcriptum exſtat **) de ira vehementer pertinaci, et furioſa vlciſcendi cupiditate, כי עז, id illi ſunt interpretati: οτι αυθαδης.

Inquiramus in cauſam, quam ob rem vim huius nominis modo latiorem intelligamus, modo anguſtiorem. Scilicet vnius rei plures exſiſtunt modi, diuerſi item gradus. Conſideremus primum, quid ſit genus, quod partes varias complectatur. Ο αυθαδης generaliter is dicitur, qui ſibi placet, vel qui ſibi ſapere ſolus videtur, vt eſt in Etymologico magno: αυθαδης, ο εαυτω αρεσκων ***). Huic generi ſubſunt ignorantia ſui, praeiudicata opinio, temeritas in adfirmando, aut negando, pertinacia in defendendo, neglectio correctionis, contemtio faſtidioſa proborum hominum, quicunque errantem voluerint ad rectam viam officiumque reducere. Inſolens haec audacia, vbi effrenatius vagatur, nullis coarctata terminis, facile eo prorumpit, vt nemini parcat, vt nullius ſiue dignitatem, ſiue poteſtatem, reuereatur, vt omnia ad

*) *Prouerb. cap.* XXI. *v.* 24.

**) *Geneſ.* c. XLIX. *v.* 7. Mirum vero, quid cogitauerint, eodem in loco, *v.* 3. voculas haſce, יתר עז, in graecum ſermonem ſic transferentes mutanteſque: σκληρας (vel, quod in quibusdam exſtat codicibus, σκληρως) αυθαδης. De quo quid ſentiam, nihil attinet dicere.

***) Nullum reperio verbum germanicum, quod vnum graeco illi omnino reſpondeat. Noſtrae igitur linguae defectum videmus eumdem, quem de gallicana profitentur BEAUSOBRE et LENFANT, viri litteratiſſimi, qui interpretationi ſuae, *fier et préſomptueux* hanc ſubnectunt expoſitionem: *Il n'y a qu'un mot dans l' Original, qui renferme ces deux idées.* Anglorum antiquiores quidem adhibuerunt vocabulum, *froward*, recentiores autem maluerunt *ſelf-will'd*, quorum neutrum eſt ſufficiens, etſi prius illud aliquanto amplius valet. Vtrumque enim ſpeciem dumtaxat vnam alteramue, graeco nomine comprehenſam, nec vero genus vniuerſum, ſignificat.

ad suum homo arbitrium reuocet, atque adeo nullis se legibus patiatur adstringi, sed regnandi potius cupiditate incendatur. Ita certe η αυθαδεια ad extremum fastigium erit perducta. Hac igitur ratione inter αυθαδειαν, atque ανομιαν, parum, aut omnino nihil, interest.

Quod si autem illa sit metu vel mollitie animi quodam modo temperata, cautius quidem versabitur, ne aperte impudenterque eos violet, a quibus magnum fuerit periculum extimescendum. Contra, blanditiis atque adsentatione se penitus in eorum consuetudinem immerget homo αυθαδης, hac mente, vt plurimum lucri faciat, vt sibi ab eorum exploratis viribus cauere possit, vt nullo adficiatur incommodo. Sed male tamen de iis sentiet, occulte etiam insidias molietur famae, quam sunt promeriti. Quid illis fiet, quos longe se inferiores ipse quidem iudicarit, vnde ne quidquam sibi metuendum sit malum? Hos vniuersos ac singulos, tamquam truncos ac stipites, supercilio et contractione frontis aspernabitur, flocci non faciet, praesertim vero de absentibus maledice contumelioseque garrire multa nunquam desinet.

Primum igitur est de hoc vitio in se spectato, tum de eius signis atque effectibus, post de iniustitia, denique de contraria virtute, disputandum.

Principio ea est natura homunculi, sibi admodum placentis, ea confidentia, vsque eo temeraria, vt praestantia se vnum omnibus antecellere ipse existimet. Praestantia autem, quae ipsum delectat, atque excellentia omnis, pertinet aut ad virtutem, aut ad nobilitatem familiae, aut ad corporis figuram atque habilitatem, aut ad facultates, aut etiam ad muneris sui ordinisque splendorem. Non est, quod nobis persuadeamus, PAVLLVM animaduertisse in eum dumtaxat, qui insolenter se efferret propterea, quod amplissi-

amplissimum dignitatis gradum adeptus esset. Ita quidem visum fuit HIERONYMO: *Non tumentem et placentem sibi, quod Episcopus sit* *). Eam vero graduum differentiam, qua Episcopi, Presbyteri, Diaconi, et Clerus, qui dicitur, inferior, multum inter se distant, neutiquam ab vltima antiquitate repetendam esse, constat inter omnes, a studio partium alienos. Et, quum Legatus Christi ita in vniuersum, sine vlla exceptione, Episcopo praecipiat, μη αυθαδη ειναι, nulla autem sit dubitatio, quin nomen, αυθαδης, generatim denotet eum, qui sibi, quacunque in re, placeat, nihil video causae, cur vim vocis cohibeamus. Illiusmodi homo, siue honoribus fortunisque maximis ornatus sit, siue eis vacuus ac destitutus, tamen omni se honore dignissimum putabit semper, et, si nihil habeat, in quo gloriari possit, certe virtuti suae plurimum confidet. Quanto autem magis est fortunatus, tanto plus suae tribuet virtuti, nec tam magnificentiam muneris ac fortunae, quam meritorum suorum magnitudinem, praedicabit. Ergo quidquid arroganter de se ipse sentiat, eius aestimatio tota ad animi praestantiam redit. Si quid fuerit, suo ex ingenio enatum, suo iudicio qualicunque probatum, suis vsibus aptum, suum omnino, vt vbique nihil sit, nisi ο αυτος, και το εαυτου, id vnum

* in *Comment. in epist. ad Titum. Opp. T.* VII. *pag.* 699. edit. VALLARSII. Id adsensione comprobant laudati laborum socii, BEAVSOBRE et LENFANT: *C'est un homme enflé, et plein de l' opinion de soi-même, comme l' a fort bien expliqué S. Jerôme.* Conferre nos iubent praeceptum illud, *1. epist. ad Timoth. c.* III. *v.* 6. in quod illustrandum, ita commentati sunt: *Le sens est, de peur qu' enorgueilli d' une charge si excellente, il ne se perde par la présomption.* Sed et illud, τυφωθεις, generatim notat inflatum insolentia hominem, quidquid sit, in quo sibi blandiatur, siue, quod ad magnam amplitudinem peruenerit, siue potius, quod singulari atque eximia virtute praeditum se prae caeteris magni faciat.

vnum longe omni commendatione dignissimum censebit. Nihil verum, nisi quod ipsius ferat opinio, nihil rectum, nisi quod ipsius moribus conueniat, putabit. Fac, recte eum sentire: fallitur tamen eo, quod suam ipse sententiam sine probatione amplectitur, in eaque perstat, non tam ratione, quam amore sui, ductus. Quod in se quidem adprobat, id idem improbaret in quouis alio, si ipsum deficeret. Tenet aliquando veritatem. Quare? Non propterea, quod sit veritas; sed, quod sibi, nescio quo casu, in mentem venerit. Non in sapientia delectatur, sed in animo suo, tamquam vno omnis sapientiae domicilio, vix, ac ne vix quidem, fieri posse, ratus, vt alii in rectam ingrediantur viam, ipse vero in errorem rapiatur. Omnino duo sunt genera virtutum, quorum in altero est rerum scientia, qua verum a falso discernimus, ad quod pertinet etiam deliberatio rerum, consilio gerendarum; in altero, vitae integritas, quae eo nos ducit, vt bona et honesta adpetamus, a malis autem ac turpibus declinemus. In vtroque fallit hominem, et fefellit semper, opinio. Mores imitatur PHARISAEORVM, quorum fere proprium erat vitium η αυθαδεια. Rerum enim, praesertim diuinarum, cognitionem, in quam totos sese abdidisse, in qua penitus versari, illi quidem sibi videbantur, immo sapientiam prudentiamque, sibi omnem sumebant atque arrogabant, λεγοντες· οτι βλεπομεν *). Pietas autem eorumdem, maxime infucata illa, ac simulationis erudita artificio, in eo potissimum cernebatur, quod essent πεποιθοτες εφ εαυτοις, οτι εισι δικαιοι, και εξουθενουντες τους λοιπους**). Pauci hodie nesciunt, exstitisse quondam in Gallia sectam, oppido

*) IOANN *Euang. cap.* IX. *v.* 40. 41.

**) LVCAE *Euang. cap.* XVIII. *v.* 9.

oppido ridiculam, EGOISTARVM, quibus nomen inde haesit, quod nullam non in disceptationem et controuersiam vocarint veritatem, praeter hanc vnam: EGO SVM. Nondum sepulta iacet pestilentissima illa haeresis, immo vero hodieque viget. Eum fortasse, qui se vnum putat doctum piumue, isto nomine nuncupaueris: nec iniuria. De natura της αυθαδειας satis dictum est.

Deinceps, vt erat propositum, quae isthinc emanent mala, mentibus nostris circumspiciamus. Haud difficilis erit inuestigatio, ac ne vlla quidem inquisitione opus fore arbitramur. Non occultum in animo haeret hoc vitium, non latebras quaerit vnquam, sed in publicum prodit, sed palam ante oculos obuersatur, maculis multis notisque insigne. Nulla autem signa certiora habemus eis, quae necessaria quadam consequutione ex re ipsa efficiuntur. Nemo est natura loquacior, quam αυθαδης homo, neminis etiam obstinatior voluntas. Portentosa is venditatione multum de se ipso gloriatur, rerumque quasi bene gestarum gloriam quauis occasione, siue data, siue arrepta, commemorat; alios quoque oportet in adsidua earumdem commemoratione totos esse, si ipsius quidem sibi conciliare velint gratiam. Ficto non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse confidit. Deprehendes eum, vbicunque morabitur, et falsa de se praedicantem (quem Graeci αλαζονα nominant) et multo verbosius de his, quae vere in ipso insunt, virtutibus, seu, vt verius dicam, virtutum simulacris, explicantem (quem illi περπερον), vtraque parte insipientem *).

*) In *Casaubonianis*, pag. 183. haec vocum differentia declaratur: Αλαζων *is proprie dicitur, qui falsa de se praedicat*, περπερος *vero, qui non falsa quidem sibi tribuit, sed quae in se insunt bona, ea nimis, vt ita dicam, in propatulo*

Doctorem lumenque desideras? Se tibi venditabit, neminem alium. Lenocinaris ei, multaque de eius virtutibus miris laudibus iocose praedicas? Serio te rem agere omnino ei videberis, nullaque in re magis se tibi credulum praebebit. Narras ei aliorum praeclare facta? Haec quidem silentio transire te iubebit. Sui facti, sui iudicii, sui beneficii, volet te vbique esse praedicatorem. Denegas ei, quem captat, plausum? Sibi ipse adplaudet. Reprehendere eum audes? Irascetur tibi, indigne feret admonitionem tuam, te, scilicet, pumilione longe superior *). Salubre das consilium? Id ille iam diu, qua est sagacitate narium, odoratus est. Duces ei, et auctores, commendas? Ipsi idoneus est nemo, quem ducem sequatur. Nullius indiget, quem ad deliberationem adhibeat, et a quo vllum petat consilium. Pro nihilo putat omnes, nullumque se prudentiorem, ac iure peritiorem, vspiam esse opinatur. Aperte demonstras, quibus in caussis per errorem

patulo habet, et putide ostentat. vid. b. IO. CHRISTOPH. WOLFII, summi quondam Theologi, *curae philol. in 1. epist. ad Corinth.* XIII. *v.* 4. Poterat vir doctus, quantum ad vocem, αλαζονεια, testes excitare, PLATONEM, atque ARISTOTELEM, quorum ille quidem hanc fecit descriptionem: αλαζονεια εξις προσποιητικη αγαθου, η αγαθων, των μη υπαρχοντων· hic vero addidit, δοξης χαριν· Id ex eorum libris depromsit CASAVBONVS, ad THEOPHRASTI cap. XXIII. CLEOMEDES, κυκλικης θεωριας μετεωρων Lib. I. c. I: Επικουρος, ως δη τις ων αλαζονευεται. Atque illud ipsum est, quod de Theuda, seditioso quodam ac turbulento ciue, relatum legimus, in *Actis apostol. c.* V. *v.* 36. λεγων ειναι τινα εαυτον· similiter de Simone mago, *cap.* VIII. *v.* 9. λεγων ειναι τινα εαυτον μεγαν· PAVLLVS vero ita stulte arroganter nos sapere vetuit: Ει γαρ δοκει τις ειναι τι, μηδεν ων, εαυτον φρεναπατα. in *epist. ad Galatas, cap.* VI. *v.* 3.

*) Graecae linguae interpretes plerique omnes nomen αυθαδης cum isto, θυμωδης, copulant. Eumdem ad modum PAVLLVS, in eo ipso loco, in quo explanando versor, haec duo coniungit: μη αυθαδη ειναι, μη οργιλον. Rationem iam exposui. Etenim qui probitate, ingenio ac doctrina, se longe omnibus praestantem iudicat, is vehementer iratus excandescet, si quis ei obsistere, aut eius corrigere menda, conatus sit.

rorem lapſus fuerit? At nihilo tamen minus contumax perſeuerabit in ſua veteri ſententia. Periculum tui feciſti, et ſpecimen aliquod tuae dediſti diligentiae? Caue tibi! Paratam ille manu iam tenet virgulam cenſoriam, qua te, vel maxime innocentem, caſtiget, nec contumelia vacabit illius in te animaduerſionis ſeueritas. Laudabile quidquam praeſtitiſti? Diſſimulabit aſtutus, obſcurabit, detrahet ac diminuet de tuis laudibus, quantum valebit. Humani aliquid paſſus es? Clamoribus te, et conuiciis, et ſibilis conſectabitur. Properabit Ariſtarchus in conuentus, aut, ſi mauis, conuenticula ciuium omni feſtinatione, vt te per ora hominum traducat. Ita omnia ad ſuam referet vtilitatem, voluptatem certe animi; ita omne ſibi bonum adſumet, vt nihil tibi faciat reliqui.

Atque etiam, ſi conſiderare volumus, quae ſint hominis erga ſe ſuosque vitae ſocios officia, intelligamus, quam ſit iniuſtum, eiusmodi arrogantiae crimen culpamque in ſe admittere. Haec nimirum poſita ſunt in primis iuſtitiae fundamenta: vt ne cui noceamus, ſed communi ſeruiamus vtilitati. At enim vero ὁ αὐθάδης nec ſuae felicitati recte conſulit, nec publicae rei eſt emolumento. Primum ſibi, quo magis ipſe placuerit, eo plus inferet detrimenti. Odioſum ſe bonis quibusque obtrudit viris, quos ſubito taedium capit hominis, inepte inſulſeque audacis. Abominantur eum omnes, eiusque ſocietatem et conſortionem, imo etiam conſpectum, cane peius et angue fugiunt. Aliorum vitia intentis acerrime contemplatur oculis; ea vero, quibus totus ipſe obrutus eſt, non intuetur: nulla igitur de emendandis moribus animum ſubibit cogitatio. Obcaecatus confidentia ac temeritate ſua, conſilium, ſi quod ipſe ceperit, non ea, qua par eſt, adcuratione ponderat atque examinat. Agit

igitur, quodcunque agat, inconſiderate, magno cum impetu. Hinc multae calamitates improuidam hominis mentem occupant. Gloriam quidem, et rumorem diſſipandum, aucupatur: ſed quum nihil non excelſe magnificeque de ſe et ſentiat, et dicat, vt omnes cognoſcant, neminem non deſpicatui ductum ab ipſo per riſum ac iocum contemni, ipſe viciſſim contemnitur ab omnibus: ex quo illud, *propria laus ſordet*, factum eſt iam tritum ſermone prouerbium. Tandem, id quod grauiſſimum, Deo iudici poenas dabit temeritatis ſuae: οτι ο Θεος τοις υπερηφανοις αντιτασσεται *). Quid dicam de bona atque integra aliorum exiſtimatione? Incredibilem in modum famam clariſſimorum virorum laedit (vult certe) temerarius Thraſo, ignominia omnes adficiendo, ſummamque eis iniuriam iniungendo. Hac autem inſolentia gloriae efficiet profecto, vt fides ipſius concidat omnis; tantum abeſt, vt magno aeſtimetur. Quae eſt iſta, in commemoranda, aut vi probitatis tuae, aut doctrinae copia, tam inſolens oſtentatio? Quaenam probitas hominis, in crimine ita manifeſto deprehenſi? Num quid boni proficiſci poteſt ab eo, in quo eſt praecipua illa Phariſaiſmi proprietas? Probum te eſſe, nemo facile ad credendum inducetur. At doctum tamen? Id imperito quidem vulgo perſuadebis, prudenti autem vix vlli. Illud, γνωθι σεαυτον, ad minuendam arrogantiam dictum eſt. Arrogantiae plenus eſt ſermo tuus. Itaque te nondum noſti. Quid igitur didiciſti? Omnino nihil: neceſſe eſt enim, vt cognitionem homo omnem a ſe ipſo exordiatur. At iactas te eruditione? Audio. Solusne tu eruditus? Quid, ſi ne eruditus quidem? Quid, ſi plane rudis? Quem enim intelligimus

*) in *priori epiſt.* PETRI, *cap.* V. v. 5. Eſt autem αυθαδης, certa quadam ratione, idem, qui υπερηφανος interprete HESYCHIO.

gimus eruditum, litterasque probe edoctum? aut vim huius verbi in quo homine ponimus? Opinor, in eo, qui tanta pollet rerum scientia ac peritia, vt ad beate viuendum, aliorumque commodis inseruiendum, tam aptus sit, quam promtum se facilemque omnibus praebeat. Non notitia multarum rerum, sed vsu, metiuntur sapientes modum eruditionis et magnitudinem: *Fructus ingenii et virtutis*, vt ait CICERO *), *tum maxime capitur, cum in proximum quemque confertur.* Proximi autem nomine non eos solum, qui propinqua cognatione nobiscum sunt coniuncti, aut quibus familiariter vtimur, sed vnum mortalium quemque designari, nostra nos religio docuit. Doctus es ergo, si multarum magnarumque rerum, omnium inter se connexarum atque aptarum, scientia tantum vales, vt vtilitatis fructum et tibi praebeas, et omnibus, quoad potueris. Sin aliter; si propter auiditatem famae possidendae nullam fere calumniam turpem putas, si de alterius existimatione detrahis, si quauis non modo aemulatione, verum etiam obtrectatione, cuilibet es aduersarius, si ne vlli quidem honoratorum virorum parcis, si optimum quemque virum spernis, vituperas, maledico dente carpis, repudias, calumniaris audacter, semper vt aliquid haereat, si aliena vitia in oculis habes, tua a tergo sunt, si te quoque ipsum, tanta, tamque intolerabili arrogantia, in maximum praecipitas periculum, si inuidiam tibi inimicitiasque omnium concitas: haec vniuersa et singula, quaeso, vtrum scientis, an ignorantis, signa sunt? Itaque satis perspicua est sententia huius effati: Ει τις δοκει ειδεναι τι, ουδεπω ουδεν εγνωκε, καθως δει γνωναι **). Quae quum ita sint; euidens est,

*) *de amicitia, cap.* XIXno.

**) in *priori epist. ad Corinth. c.* VIII. *v.* 2do, compar. cum v. 1. et 9. 10. 11. Quo in loco minister veritatis diuinae de ea loquitur scientia, quae

est, ac solis luce clarius, την αυθαδειαν minime eum decere, cui procuratio publici credita est negotii, in primisque in pascendo atque alendo grege animorum, sempiterna beatitate impertiendorum. Quocirca PAVLLVS, nil sine ratione firmissima dicere solitus, cohortationi suae, δει τον επισκοπον ανεγκλητον ειναι, ac vel maxime μη αυθαδη, hanc adiunxit probationem, sane valentissimam: ως Θεȣ οικονομον· in qua descriptione magnam vim inesse argumentationis, res ipsa dilucide ostendit *). Dispensatorem enim fidelem oportet meminisse, quid officii sibi mandati postulet ratio, vt suum cuique demensum tempestiue liberaliterque ipse suppeditet **). *Omnino, qui rei publicae praefuturi sunt, duo* PLATONIS *praecepta teneant: vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt, quaecunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum, vt totum corpus rei publicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant* ***). Id

vtrum-

quae amori, atque adeo communis vtilitatis studio, aduersatur. Id nimirum ex tota verborum serie et cohaerentia plane adparet.

*) Huic principali causae plures possunt adiungi, et sigillatim ea, quam b. AEGIDIVS HVNNIVS disseruit. *Est* αυθαδης, *qui suis sibi dictis factisque mire placet, semet ipsum admiratur, sua tantum laudat, reliquorum autem omnia e sublimi despicit. Hoc vitium, per se turpe, tum etiam cum* σκανδαλω *ecclesiae coniunctum, et in Episcopo valde periculosum, ab ecclesiae ministris abesse iubet Apostolus: quando quidem, si, qui eo laborant, semel a verbi tramite deflectunt, difficillime se patiuntur admoneri, et in viam reuocari.* Αυθαδειας *quippe malo turgidi, et inflati, sua impense tuentur et defendunt mordicus, ne errasse videantur.* Haec ille, in *thesauro Apostolico, ad Tit.* I. 7. *pag.* 865. Ita est, proh dolor! Ecquis est nescius, errores maxime pestiferos, quicunque in coetu sacro disseminati vnquam dispersique fuerunt, propagari non potuisse, nisi asperrima sententiae obstinatione, cuius causa nunquam alia exstitit, quam αυθαδεια errantis, semper monitoribus asperi.

**) in *Euang.* LVCAE, *cap.* XII. *v.* 42.

***) CICERONIS vtor verbis, *de offic. Lib.* I. *cap.* 25to.

vtrumque ſcitum adcurate obſeruandum eſt illi, qui gubernandae ciuitati Dei praefectus eſt, atque id quidem tanto maiori ſtudio, quanto plus eſt aeternae animorum ſaluti tribuendum. Vtrumque enim diuina auctoritate confirmatum legimus. Prius quidem illud: Η αγαπη ȣ ζητει τα εαυτης, ob eamque cauſam ȣ περπερευεται, ȣ φυσιȣται *). Hoc autem poſterius: Παν το σωμα συναρμολογȣμενον και συμβιβαζομενον δια πασης αφης της επιχορηγιας, κατ ενεργειαν εν μετρῳ ενος εκαςȣ μερȣς την αυξησιν τȣ σωματος ποιειται, εις οικοδομην εαυτȣ εν αγαπη **). Neutrum vmquam praeſtabit, ac ne poterit quidem, ο αυθαδης, quippe qui in eam ſe conſuetudinem adduxit, vt omnibus velit obeſſe, prodeſſe nemini.

Reſtat, vt virtutem formoſam, deformi huic vitio oppoſitam, contemplemur. Ea nimirum eſt ſancta animi *modeſtia*, quo in verbo modus ineſt ***). *Humilitatem* ſi adpellare velis, more ſcriptoribus chriſtianis vſitato *), haud equidem impediam: at vereor tamen, ne eis, qui latine

*) in I. *epiſt. ad Corinth. c.* XIII. *v.* 5. coll. 4. Exemplo rem ſuo illuſtrat PAVLVS, eisdem in litteris, cap. X. v. 33. μη ζητων το εμαυτȣ συμφερον, αλλα το των πολλων, ινα σωθωσιν.

**) *ad Epheſ.* IV. 16.

***) Paullo aliter arbitratur IS. CASAVBONVS, in *Commentario in* THEOPHRASTI *charact. eth: Virtutem*, inquit, *huic vitio oppoſitam*, ARISTOTELES *in Nicomacheis quidem* φιλιαν *ſemper vocat, nouo quodam modo* φιλιαν *vſurpans, vt ipſe explicat; intelligi autem voluit eo vocabulo morum facilitatem, et grauitatem, decente conditam lenitate. At in Magnis et Eudemiis*, σεμνοτητα *virtutem illam nominat.*

*) vid. S. V. et Magnifici IO. GEORGII WALCHII *diatribe*, LACTANTII operibus praemiſſa, *de Lactantio eiusque ſtylo*, *pag.* 61. IO. CASPAR SVICERVS, in *theſ. eccleſ.* T. II. pag. 1226. dum in eo eſt, vt σωφροσυνην luculentis teſtimoniis, quae ex PATRVM voluminibus copioſe collegit, interpretetur, recte quidem: *modeſtia*, inquit, *quam vulgo humilitatem vocant.* Perperam vero binas haſce voces, *modeſtia*, *demiſſio*, tamquam vnum idemque valentes, coniunxit; neque enim haec animi demiſſio, *Kleinmüthigkeit*, in virtutibus ponitur.

latine loquuntur, aut horride inculteque dictum, aut ambigue saltem, istud videatur. Non id, quod nostra quidem sermonis consuetudine dicimus, *Demuth*, sed illud contra, quod vocamus *Niederträchtigkeit*, classici auctores, nomine humilitatis, si non semper, certe saepius, designare solent. Homini dedecori esse, inquiunt, humiliter, demisse, abiecteque, de se sentire, et cuiuis seruire; id quod nostris quoque moribus nefas habetur: μη γινεσθε δȣλοι ανθρωπων *). Summo nos studio eniti debemus, et contendere, vt suam quisque dignitatem tueatur, omnique, quam maxime possit, circumspectione prouideat praecaueatque, ne quid vmquam, aut aliorum fraude insidiisque sibi inferri sinat, aut moliatur ipse, quod ab honestate remotum sit, et cum ordine suo minime congruat. Vir diuinitus eruditus hanc sciuit legem: οσα σεμνα, ταυτα λογιζεσθε **). Haec autem moderatio animi continetur ea virtute, quam Graeci ευταξιαν nominant. Non illam nunc volo significare, in qua intelligitur ordinis conseruatio; sed hanc, quam interpretamur modestiam, quae ad sanitatem mentis, graece σωφροσυνην dictam, tamquam species ad suum genus, debet referri. Neutra tamen ab altera separari vmquam poterit. Quocirca PAVLLVS vtramque consociat, cum nos studiose in id operam dare iubet, vt omnia et decenter fiant, et iusto ordine: παντα ευσχημονως και κατα ταξιν γινεσθω ***). *Eam virtutem* σωφροσυνην *vocant*, vt CICERONIS dictum vsurpem *), *quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderа-*

*) I. *ad Corinth.* VII. 23.

**) *ad Philipp. cap.* IV. *v.* 8.

***) 1. *ad Corinth.* XIV. 40.

*) *Tusc. quaest.* L. III. c. 8. Vocis, σωφροσυνη, et verbi, σωφρονειν, significationes varias, et plures, ac SVICERVS, numerando diligenter percensuit ADRIANVS COCQVIVS, in *Ethica S. Lib.* III. *cap.* 8. neque hanc praetermisit: *modeste de se ipso sentire.* Oppositio etiam rem declarat. Illi nimirum, qui σωφρων est, vterque, et υπερφρων, et αφρων, haud dubie opponitur. Et υπερφρονα quidem

derationem adpellare, non nunquam etiam modestiam. Non multum ab eo distat, quam PAVLLVS nobis tradidit, modestiae vere christianae definitio: Μη υπερφρονειν, παρ ο δει φρονειν· αλλα φρονειν, εις το σωφρονειν *). Quid igitur mente agitat homo, ita moderate de se sentiens? Primum secum habitat, sui conscius, quam sit sibi curta supellex. Non pudet eum, fateri ingenue, suam se miseriam experiri, quam sit propensus ac procliuis ad vitium quoduis, virtutis autem omnis expers. Insitam sibi naturaliter, vel potius innatam, male agendi cupiditatem pertristis deplorat. Probe scit, vnum esse bonorum omnium effectorem, Deum immortalem. Boni igitur nihil suis adsignat viribus, sed gratissimo animo profitetur, id omne, quantum demum cunque in ipso sit, a Deo in se profectum esse, eiusdemque Deo reddendam esse rationem: Παντι ω εδοθη πολυ, πολυ ζητηθησεται παρ αυτε **). Pia haec cogitatio efficiet profecto, vt timor ac tremor animum percellat potius, quam gloriatio extollat: Τις γαρ σε διακρινει; τι δε εχεις, ο εκ ελαβες; Ει δε και ελαβες, τι καυχασαι, ως μη λαβων *); Neque ex sese idoneum se ad studium virtutis existimat, sed ipsam quoque ικανοτητα, dexteritatem, et, vt ita dicam, capacitatem, diuinae beneficentiae acceptam refert: Ουχ

 οτι

dem neminem esse alium, quam υπερηφανον, υψηλοφρονα, HESYCHIVS, reliquique auctores, magna consensione docent. Την δοκησιν autem hominem efficere αφρονα, et peccati grauitatem vel ex eo cognosci, quod arrogans haec opinio, quasi morbus insanabilis, euelli ex animo vix vmquam queat, nulla igitur spes adfulgeat emendationis, scite obseruat PHOTIVS, *epist.* CXXII. Nec te legisse poenitebit, quod MONTACVTIVS breuiter strictimque adnotauit.

*) in litteris *ad Romanos* scriptis *cap.* XII. *v.* 3. Huius enuntiati sententiam haud ita pridem eleganter enucleateque explicatam dedit, cum Doctores creandos significauit, Summe Vener. et Magnificus CHRISTIANVS FRIDER. BOERNERVS, primum Academiae nostrae Ornamentum.

**) in *Euang.* LVCAE, *cap.* XII. *v.* 48.

***) I. *epist. ad Corinth.* IV. 7.

οτι ικανοι εσμεν αφ᾽ εαυτων λογισαϑαι τι, ως εξ εαυτων, αλλ᾽ η ικανοτης ημων εκ τȣ Θεȣ *). Hinc ſua ſponte excellentiam negat ſuam, certiſſime perſuaſus, commendationem nullam ſuis ex meritis efficiendam eſſe, omnem a Dei beneuolentia exſpectandam: *Ου γαρ ο εαυτον συνιςων, εκεινος εςι δοκιμος, αλλ᾽ ον ο κυριος συνιςησιν* **). Praeter id vero, quod in ſe bonum Dei beneficio ineſt, mala longe plura numerat. Eruditionem, tantum abeſt, vt ſibi perfectam tribuat, vt multiplicem eius cenſeat defectionem, atque adeo hoc prae ſe ferat, quod optimus et grauiſſimus quisque palam confitetur, multa ſe ignorare, et multa ſibi etiam atque etiam eſſe diſcenda. Virtutum ſuarum multo minorem, quam vitiorum, indolem recordatus, ſe ipſe reprehendit, quin etiam eum ſibi habet amiciſſimum, cuius admonitu hortatuque ipſe et corrigatur, et confirmetur. Magnam igitur cautionem adhibebit, ac diligentiam, tam ad praecauendum, quam ad reſipiſcendum, ſi qua in re peccatum fuerit. Nihil vnquam, neque inſolens, neque glorioſum, ex ore eius exibit. Neminem deſpiciet, ac ne infimi quidem cenſus hominem, dum modo ne aperte ſit improbus, putabit contemnendum, vix quemquam fore, ratus, in quo non aliquid ſit boni, quo ipſe careat. Ea de cauſa hoc nobis imperatum eſt: *Τη ταπεινοφροσυνη αλληλȣς ηγȣμενοι υπερεχοντας εαυτων* ***). Ex quo gignitur ſtudium, non tam ſibi placendi, quam aliis, et omnibus quidem, quoad eius fieri

*) 2. *ad Corinth.* III. 5.

**) 2. *ad Corinth.* X. 18. *τȣτ᾽ εςιν᾽ ον η αληϑεια τȣ εργȣ και τȣ κοπȣ μετα της χαριτος τȣ Θεȣ αποδεικνυει δοκιμον.* Ita quidem interpretatur THEOPHYLACTVS, in ſuo *Commentario* in PAVLLI *epiſtolas, pag.* 404. edit. Londin. Sed duae res ſunt, vno hoc verbo comprehenſae. Deus hominem commendat, cum beneficia in eum conferendo, tum eam rationem, qua homo recte eis vtitur, adprobando.

***) *epiſt. ad Philipp. c.* II. *v.* 3.

ri poteſt, ne quid publicae rei ſalus detrimenti capiat *). Peſtis eſt quidem, qua nulla in amicitiis maior, η αρεσκεια **), ſi eo nomine intelligamus adulationem blanditiasque***), multis nominibus notandum illud vitium leuium hominum, atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem *). Id minime in eum cadit, qui immenſam Dei clementiam pluris facere ſolet, quam improborum hominum beneuolentiam, adſentationibus colligendam: ει γαρ ετι ανθρωποις ηρεσκον, Χριϛȣ δȣλος εκ ημην **). Probo autem ingenio praeditis hominibus vt ſuam probet diligentiam ac fidem, vt conſilia ſalutaria in commune conferat, vt vtilitatis rei publicae habeat rationem, vt, paratis cuique officiis, gratiam ſibi ac beneuolentiam quorumuis conciliet, vt, omnium commodis inſeruiendo, iudicium veri nec tollat, nec adulteret, id, inquam, ſi a bono viro popoſceris, haud negabit id ſuarum eſſe partium. Id profecto eſt adcommodatum, atque adeo neceſſarium, ad communem totius generis hominum conſociationem, vt ſit inter eos conſiliorum ac voluntatum communitas. Iuſſu diuino ita nos aliis obligati ſumus: Εκαϛος ημων τω πλησιον αρεσκετω· Ecquonam modo? Ecquo animo? Quippe eo prorſus bono:

*) *Apud* DIOGENEM ο αυθαδης *opponitur ei, qui omnibus ciuibus placere contendit, et ea re omnium gratiam inuenit.* Haec ſunt verba celeb. IO. CONRADI SCHWARZII, in *Commentar. linguae gr. N. T. pag.* 213. not. ***.

**) De hoc vitio, quod dicitur αρεσκεια, vid. THEOPHRASTI *charact. eth. cap.* V. Nec nullius ſunt momenti, quae de vitio ανθρωπαρεσκειας, vt et οφθαλμοδȣλειας, ad explanandam ſententiam verborum *Phil.* II. 12. adfert SAMVEL WERENFELSIVS, in *opuſculis pag.* 343.

***) Quem ad modum graeca vocabula, αρεσκεια, et κολακεια, inter ſe differunt, ita IS. CASAVBONVS: *Blanditia*, inquit, *differt ab adulatione ſolo fine; nam haec ſuum ſibi commodum pro fine proponit, blanditia vero ad ſolam voluptatem ſpectat, et vt placeat in congreſſibus et conuictu. in notis ad* THEOPHRASTI *charact. mor.* loc. cit.

*) CICERO *de amicitia, cap.* XXV.

**) *ad Gal. cap.* I. *v.* 10.

bono: εἰς το αγαθον·πρὸς οικοδομην *). In suum nos exemplum intueri iubet PAVLLVS: Καθως καγω πασιν αρεσκω, μη ζητων το εμαυτȣ συμφερον, αλλα το των πολλων· nec vero, nisi propterea, ινα σωθωσιν **). Multo etiam magis ad supremam ipsius CHRISTI auctoritatem prouocat: και γαρ ο Χριςος ȣχ εαυτω ηρεσεν ***). Mansuetum etiam oportet eum esse, qui aliis potius, quam sibi, vult placere. Non praecepta sentiendi ac viuendi ciuibus tradere ipsum decet, sed argumentis grauibus, quid verum sit rectumque, docere, ne quid sibi imperii arrogare, et suae voluntati magis, quam rationi, obedientes facere animos velle, ipse videatur *). Qui ita modeste se gerit, is certe rem suam feliciter peragit, fideliterque, ως Θεȣ οικονομος, μη αυθαδης, αλλα πασιν αρεσκων.

Media igitur via est, in quam ingredi, in qua procedere debemus; namque ab ista mediocritatis regula, sane optima, non licet transuersum, quod aiunt, vnguem discedere, ne quid nimis de se quisque sentiat, nec vero minus, quam deceat. Permulti, quibus αυθαδεις ii videntur, qui nihil, praeter id, quod honestum sit, adpetunt ac deposcunt, sciant, velim, sibi eos falso suspectos esse. In primis duo sunt genera ingenuorum hominum, iniusta hac suspicione liberandorum. Contra ius fasque, tanti criminis adcusantur et illi, qui vera a falsis diiudicata fortiter sapienterque tuentur, nulli cedentes repugnantiae, et hi,

*) *ad Rom.* XV. 2.

**) 1. *ad Corinth.* X. 33.

***) *Rom.* XV. 3.

*) IO. COCCEIVS, in *Commentario suo in epist. ad Titum*, §. 171. *Atque idcirco*, inquit, *illum, qui quid docet, tamquam ex verbo Dei, et quid postulat, tamquam propter praeceptum Dei, omnem speciem αυθαδειας oportet vitare, nempe, vt demonstrando et rogando agat, non imperando et praescribendo, atque ita se manifestum faciat ad auditoris conscientiam*, 2. *Corinth.* IV. 2. *Nam, etiam si quis quid didicerit ex sacris litteris, si id praecipiat, et non doceat cum omni mansuetudine, αυθαδειας se labe commaculat.*

et hi, qui ad honores, ſibi conuenientes, adſpirant, eosque pro eo, ac par eſt, expetunt.

Primum de illis non nihil diſputabo, qui, recta conſcientia ſuſtentati, pro ſalutari veritate, incorrupte et integre ſeruanda, acerrime propugnant, eamque ſibi conſolationem nulla vi, nec fraude vlla, dum viuunt, eripi patiuntur. An illi idcirco αυθαδεις iure putandi ſunt? Longe illos ab hac culpa abeſſe, muneris declarat ratio. Imperata faciunt, quum hominem chriſtianum prorſus deceat, doctrinas diuinitus patefactas ingenue profiteri, ſtrenueque defendere, tamquam militem magnanimum et heroicum, cui inſitum eſt, aut vincere, aut emori *). Inique admodum cum b. LVTHERO noſtro egit CORNELIVS A LAPIDE, hanc ei maculam inurere auſus, quaſi is fuerit αυθαδης, quoniam quidem *contra Regem Angliae ſcripſit: Hic ſto, hic maneo, hic glorior, hic inſulto Papiſtis, Henriciſtis, Sophiſtis, omnibus portis inferni, Diuina Maieſtas mecum facit, vt nihil curem, ſi mille Auguſtini, mille Henricianae eccleſiae contra me ſtarent* **). Nec ſe alii continuerunt, quin virus acerbitatis ſuae in virum, criminis inſontem, euomerent, eum vocantes *arrogantem*, vt COCCIVS, *Thraſonem*, *intolerabili faſtu turgentem*, vt VLENBERGIVS, *adeo* demum *ſuperbiae ſpiritu inflatum*, *vt non modo Scholaſticos Doctores ſpreuerit* (en! quantum piaculum), *ſed et eccleſiaſticis Patribus et Pontificibus minus credi voluerit*, *quam ſibi*, quibus eum argutiis COCHLAEVS perſequutus eſt. Adlatas hasce criminationes repulit b. IOANN. CONRADVS DANNHAVERVS, immortali memoriae commendatiſſimus ***), qui

*) 2. *ad Timoth. c.* II. *v.* 3.

**) CORN. A LAPIDE in *Comment. ſuo in* 2. *epiſt.* PETRI *cap.* II. *v.* 10.

***) in diſput. de *memoria Lutheri renouata*. vide diſputatt. ſtudio b. MISLERI collectas, P. II. *pag.* 1090. ſeqq.

qui mentionem ſimul de eo fecit modo, quo LVTHERVS ipſe iniuriam eiusmodi, ſua iam aetate ſibi ab EMSERO illatam, repreſſerit ac retuderit. Si hoc ei eſſet vitio vertendum, nae omnes veritatis teſtes, omnes, qui diuino inſtinctu inflatuque futura praenuntiarunt, omnes a CHRISTO legati homines, ipſe etiam CHRISTVS, tamquam αυθαδεις, arguendi forent propterea, quod vniuerſo Pontificum Vatumque mendacium exercitui, immo etiam Senatui populoque iudaico, conſtanter reſtiterint, nec ſe de loco demoueri ac depelli vmquam ſiuerint. Sane luculenter IOAN. COCCEIVS *) rem verbis expreſſit, dignis omnino, quae transſcribantur: *Quare* αυθαδειας *crimine liberi ſunt, qui metuunt dicere, quod non docuit Deus, quod non ex verbo Dei didicerunt, et, vt diſcant, nullum, ne puerum quidem, verbum Chriſti afferentem, aſpernantur; et pacifici ſunt, et, quantum poſſunt ſalua conſcientia, aliis concedunt, neque ſe dominos fidei, aut ſermonis, aut actionum, fidelibus obtrudunt; neque aliena dicta, quae recte explicari poſſunt, calumniantur, neque reſiſtunt verum dicentibus et recta monentibus ex verbo Dei. Poteſt autem fieri, et fit,* (id quod probe notetur) *vt, qui ſe aliis* αυθαδεσι *nolunt ſubiicere* εις υποταγην, *ab iisdem* αυθαδεις *vocentur. Sed Apoſtolus non hoc praecipit, vt Epiſcopus non patiatur calumniam, tamquam ſi eſſet* αυθαδης, *ab hominibus ſuo conſilio agentibus, ſed ne ſit* αυθαδης. *Bene eſt diſtinguendum inter eum, qui eſt* αυθαδης *et* τολμητης, *et eum, qui talis videtur ac dicitur. Homines eum, qui ipſis ſtudet placere, habent pro commodo, benigno et probabili homine, eum autem, qui conſcientiam bonam ſtudet habere,* αυθαδη *et peruicacem vocant. Ita, qui ſequitur in loquendo eos, qui antea loquuti ſunt, et loquitur, quod plurimi loquuntur, eum illi plurimi ſuſcipiunt,*

*) loc. cit. §. 168. et 171.

piunt, laudant, probant. Sed aliter ſe res habet. Qui, ſequens conſilium ſuum, loquitur, quod alii loquuntur, facit, quod alii faciunt, is non minus αὐθάδης *eſt, et ſibi placens, quam quiuis, qui aliquid ex ſe ſolus loquitur, et ſe caput ac ducem factionis et haereſeos facit. Phariſaei, qui erant* προσωποληπται, *et ſibi inuicem gratificabantur, et loquebantur Rabbi in nomine Rabbi, non ideo erant immunes a vitio* αὐθαδειας. *Imo hoc ipſum, quod ſe in docendo mutuo adſpicerent, reſpondebat in ipſos, Ieſ. III, 9. vt teſtis, quod non delectarentur lege Dei, ſed vellent ambulare* בשרירות לבם, *in beneplacito, propoſito, et firmitudine cordis ſui. Contra, qui ſoli Deo credit, et, ſe abnegans, ſtudet habere bonam conſcientiam, hominibus autem ſe non ſubiicit, et ab iis non patitur ſe in ſeruitutem redigi, vt quidquam dicat, aut faciat, de quo non poteſt habere fidem et* πληροφοριαν, *is re vera* αὐθαδειας *reus non eſt (quia non ſibi, ſed Deo, placet, Galat. I. 10.) quamquam hominibus contumax, inobediens, ſingularis, nouator, immo haereticus videatur.* Et paucis poſt interpoſitis: *Caeterum nemo debet putare,* πληροφοριαν, *bonam conſcientiam fiduciamque, eſſe* αὐθαδειαν, *quem ad modum Pontificii volunt, nos ſemper, etiam cum credimus et a Deo didicimus, dubitare, et formidare, ne forte decepti ſimus, idque eo fine, vt nos hominibus ſubiiciamus. Quaſi nulla ſit confirmatio, nulla tranquillitas, nulla pax, nulla laetitia, nulla fiducia, nulla ſpes, nulla exſpectatio fidelium, et vel veritas, vel fides, vel conſcientia, non minus eſſet nebula et ſpectrum, quam ſunt vanae cogitationes cordis, a Deo non illuminati, et quaſi Spiritus veritatis a Spiritu mendacii non differret.*

Venio ad eos, qui altiorem dignitatis gradum in Academiis adſcendunt. Fanaticorum quidem hominum numeroſum agmen eis contumelioſiſſime male dicit. Inſi-

mulat eos ſuperbiae, arrogantiae atque αυθαδειας. Plena probrorum ſunt, quae, poſt CAROLOSTADIVM, VALENTINVS WEIGELIVS, CHRISTIANVS HOHBVRGIVS, GODOFREDVS ARNOLDVS, omnium denique impudentiſſimus conuiciator, perſonatus ille CHRISTIANVS DEMOCRITVS, in candidatos doctoratus, praeſertim vero theologici, cumulate congeſſerunt. Ecquo autem loco et numero illi ſunt habendi, quorum tanta eſt, tamque temeraria, audacia, vt actionem honeſtam, nec, niſi quis male ea vtatur, reprehendendam, ita in vniuerſum reiiciant, omnes etiam eos, quicunque ad eam adgrediantur, ſine vlla diſtinctione vituperent? Nulla profecto in illis eſt facultas diiudicandi ac diſcernendi, quid in ea re ſit bonum, quidue forſitan mali hominum quorumdam culpa acciderit, aut quo quis animo actionem eiusmodi ſuſcipiat. Aequos rerum aeſtimatores ac iudices adpellamus, vt hi tandem ſententiam pronuntient. Quid ſunt honores academici? Num quid aliud, quam publicum quoddam de doctrinae integritate teſtimonium, et praemia virtutibus propoſita? Quid ii meditantur, quos non laudis titulique cupido ſtimulat, ſed muneris perpulit ratio, vt in candidatorum numero ſuum quisque nomen profiteatur? Hoc certe agunt, vt ſe aliis examinandos ſiſtant, iudicandosque; tantum abeſt, vt ſe ipſi admirentur, ſuamque ſibi virtutem ſatis commendatam habeant. Vere autem ſi volumus iudicare, importuni reprehenſores, dum ſpeciem probitatis prae ſe ferunt, et ſingularem aliquam adfectant humilitatem, ea ipſa modeſtiae adfectatione, qua nihil eſt odioſius, nullum mortalium vitio αυθαδειας magis intumuiſſe, quam ipſos, demonſtrant. Simulatam enim ταπεινοφροσυνην, ſacris in litteris valde improbatam, haud ignoramus *). Magnitudinem animi, vt ſuperbia in extollen-

*) *Epiſt. ad Coloſſ. cap.* II, *v.* 23.

tollendis honoribus, sic despicientia in contemnendis, imitatur *). Praeclarum AMBROSII illud **): *Ergo bonis artibus et sincero proposito nitendum ad honorem arbitror, et maxime ecclesiasticum, vt neque resupina arrogantia, vel remissa negligentia sit, neque turpis adfectatio et indecora ambitio. Ad omnia abundat animi directa simplicitas, satisque se ipsa commendat. - - Laudent vnum quemque proximorum labia, non os suum.*

Itaque rectissimis studiis ad honores contendunt Viri maxime reuerendi, qui nunc mihi adpellandi sunt, modesti aeque, ac honesti, nec nimiae existimationis captatores, nec decentis contemtores, quorum quippe virtutem gloria, tamquam vmbra, sequitur. Omnium laudatione ita celebrati sunt, vt mea commendatione non indigeant. Illustrem possident, et constantem, multorum magnorumque, vel in Academiam, vel in Ecclesiam, vel in rem litterariam, famam meritorum. Proinde, quum eruditionem theologicam, qua florent, perspectam exploratamque habeat Ordo noster, cunctis quidem suffragiis dignissimos eos censuit, quibus honores, muneribus, quae vnus eorum quisque ornat, conuenientes, decernerentur. Prodeant igitur clarissimi Candidati, singuli illi Theologiae Baccalaurei, nominatim

DN. M. IOANNES RVDOLPHVS KIESLING,

ERFORDIENSIS,

PHILOLOGIAE SACRAE APVD NOS PROF. PVBL.

DN. M. GOTTHELF EHRENFRIED LECHLA,

GROSPETSCHA-MISNICVS,

AD AEDEM NICOLAITANAM ARCHIDIACONVS.

DN.

*) CICERO de *partit. orat.* cap. 23. **) de *officiis Lib.* II. *cap* 24.

DN. M. CAROL
PETZ
KLEBIT
AD AEDEM THO

DN. M. CHRISTI
EIC
HOECKENDO
AD AEDEM NICOL

Ego vero, vt munere iam
hisce Viris, doctrina excu
elaborarunt, vindicandi pot
ctus est dies huius mensis X
ille quidem pomeridiano t
autem matutinis horis ab o
fecto, Eos ego vniuersos,
conuenientes, sacrosanctae
TOS creabo. Ne quid v
sit, MAGNIFICVM ACAD
NISSIMVM PRINCIPEM,
GRAVIVM, ILLVSTRISSI
TISSIMOS VTRIVSQVE
CLARISSIMOS QVOSQVE
SIMOS NOBILISSIMOSQ
frequentes ad hanc dierun
conueniant, Ordinis Theo
par est, obseruantia et hum
tandem ILLIS officia, omn
P. P. DIE DOMIN. XX
MDCC XLIV.

EX OFFICINA

ROLVS FRIEDERICVS
PETZOLD,
KLEBITIO-SAXO,
M THOMANAM DIACONVS.

RISTIANVS GOTTLOB
EICHLER,
CKENDORFA-MISNICVS,
NICOLAITANAM DIACONVS.

nere iam mihi mandato fungar, quatuor
ina excultis, disputationes, in quibus
candi potestatem faciam. Certamini di-
mensis XXVtus, et subsequens XXVItus,
ridiano tempore, hora II. audita, hic
oris ab octaua. Quo negotio rite con-
niuersos, legibus institutisque Maiorum
crosanctae Theologiae LICENTIA-
Ne quid vero splendoris actui solenni de-
M ACADEMIAE RECTOREM, SERE-
NCIPEM, ILLVSTRISSIMVM LAND-
STRISSIMOS COMITES, EXCELLEN-
IVSQVE REI PVBLICAE PROCERES,
VOSQVE VIROS, vt et GENEROSIS-
SIMOSQVE ACADEMIAE CIVES, vt
ic dierum solennitatem cohonestandam
nis Theologorum nomine, omni, qua
ia et humanitate oro atque rogo, omnia
cia, omnemque operam meam, polliceor.
MIN. XXVI. POST TRINIT. A. R. S.

ICINA LANGENHEMIANA.